

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3874

Auteur(s) : Nicolas III [pape]

Bénéficiaire(s) : Cerisy-la-Forêt, Saint-Vigor (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1280, 21 mai

Lieu d'émission : Rome

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle de Nicolas III sur l'élection de l'abbé de Cerisy.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 942, p. 236.

Texte établi d'après a

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Xpisto filio, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia majestatis acquiritur, si ministris ejus, pro ipsius reverentia, condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Sane dudum monasterio Cerasiensi, ordinis Sancti Benedicti, Baiocensis diocesis, abbatis regimine destituto, et duabus ibidem electionibus, una videlicet de Guillelmo de Sancto Gabriele, reliqua vero de Ricardo de Landa, ipsius monasterii monachis, in discordia celebratis, Henricus de Landa et Johannes de Humeto, ipsius monasterii monachi, prosequentes electionem de Ricardo celebratam, electioni prefati Guillelmi se opponere curaverunt. Negotio itaque hujusmodi ad sedem apostolicam legitime devoluto, extitit super illo apud sedem eandem diutius disceptatum, et tandem iidem Guillelmus et Ricardus omne jus quod eis et eorum cuilibet in electionibus hujusmodi competebat, libere in nostris manibus resignarunt. Nos autem, hujusmodi resignatione recepta, provisionem ipsius monasterii nobis ea vice duximus auctoritate apostolica reservandam, et postmodum, paterna volentes sollicitudine precavere ne monasterium ipsum prolixè dispendia vacationis incurrat, ad personam dilecti filii Guillelmi abbatis monasterii Cerasiensi, ordinis Sancti Benedicti, Baiocensis diocesis, aciem apostolice considerationis extendimus, ipsumque, tunc priorem Sancte Margarete in Hellicuria, Cluniacensis ordinis, Belvacensis diocesis, ipsi monasterio Cerasiensi, de fratrum nostrorum consilio prefecimus in abbatem, et sibi munus benedictionis duximus impendendum, firmam fidem fiduciamque tenentes, quod, cum de competenti litterarum scientia, et circumspectione spiritualium et temporalium, commendabilis habeatur, predictum monasterium, per industrie sue studium, Deo propitio, regularibus institutis proficiet, ac alias spiritualiter et temporaliter honoris et comodi suscipiet incrementa. Rogamus itaque serenitatem regiam et hortamur attente, quatinus te prefato abbati, pro divina et apostolice sedis reverentia, reddens affectu benivolum et opere gratiosum, ejusdem monasterii jura, quantum in te fuerit, benigno favore protegas et defendas, ita quod idem abbas in exequenda sollicitudine sibi tradita possit prosperari facilius, et nos celsitudinem regiam dignis inde

laudum preconiiis attollamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum, XII kalendas junii, pontificatus nostri anno tercio.